



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Eius institutiones. n. 26.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1617. Etissimam Iuuentutem, eiudemque doctrinam, modestiam, pietatem collaudans. Tantis vero laudum encomijs commotus Vice-Protektor Angliæ Cardinalis Bianchettus (cui Pontifex literas non absque magna animi voluptate legēdas dederat) à Patre *Personio* vehementer petijt, vt hæc omnia illi, & per illū etiam Pontifici indicaret. Quid multa? iam Patris *Schondonchi* nomen *Pauli* quinti auribus insonuit, & bonus odor Collegij illius non vno contentus Belgio se vbique diffundit.) Atque alijs deinde literis. "Illustrissimus Nuncius valde est in scribendo sedulus, adeo vt iam secundo ad Illustrissimum Cardinalem Bianchettum de Collegio Anglicano scripserit, Iuuenum modestiam, Collegij Disciplinam, & Superiorum vigilantiam summo opere collaudans; Rectorē deinde magnis encomijs verbisque amplissimis, tanquam virum valde grauem, prudentem, Religiosum, doctissimum præterea & humanissimum honestans; Nomen, quod miramur, siluit; sed nos *Schondonchi* nomen silentio premi non patimur, ne effusæ Nuncij Apostolici laudes suo priuentur effectu: Hoc denuo præstitit R. P. *Personius*, nomen indicans & prædicans merita) In Hispanias etiam & qui Hispalim, quique Vallisoletum profecti sunt Adolescentes sua cum virtute & doctrina *Schondonchi* famam protulere, neque re maiorem: Præstantis enim erat ingenij vir, prudentiæ singularis, pietatis eximiae, quam sermonis gratia comitalque cum dictionis & gestus grauitate tam congruenter condebat, vt summis simul atq; infimis esset acceptissimus; Anglis verò plus Anglis gratus, vt qui totum se illis impenderet, & verbis sæpe, re verò ipsa semper profiteretur, nihil in se esse quod ab Anglis dissentiret præter linguam ad idioma exprimendum tardiolem. Enimvero altè imbiberat quam magnum ad Ecclesiæ vniuersæ vtramque pacem momentum haberet Angliæ Conuersio; quantum deinde ad Conuersionem maturanda in emolumentum Iuuentutis Angliæ proba institutio; quantum ad Institutionem Rectoris propensus in gentem ipsam animus, vt qui (ex eius sententia) quisquis esset cogitare deberet natum se esse in ipso Angliæ meditullio. Ipsa denique rei necessitas currentem incitabat, quando non vno edicto Regio vetaretur, Catholicos habere domi præceptores, & abrepti è paterno sinu liberi hæreticis curatoribus traderentur erudiendi. Hæc virum zelo Dei plenum incendebant ad tam sedulam sui muneris administrationem, vt fractis licet viribus corporis nõ cessaret, sed nouissima in ægritudine decumbens scriberet, dictaretq; ea quæ posteritati essent profutura; neq; alijs ab eo tempore præceptionibus Seminarij splendor est sustentatus, quam quæ à *Schondonchi* calamo vsuq; prouenere.

Eius institutiones.

XXVI. Quæcunque ad Dei cultum pertinebant sacræque ceremonias accuratissimè exequabatur & vt ab Adolescentibus cum magnificentia quadam præstarentur satagebat. Sanctissimā vero Dei Matrem præcipuo honore colebat, atque vt in teneris iuuenum animis altè imprimeretur studebat. Testes sunt Sanctissimæ Virginis encomia quæ singulis dominicis festisque diebus decantari voluit sub vespertinis horis; testes eadem ligneis figuris expressa, atque ordine collocata in *Horto* (vt ille vocabat) *concluso*, hoc est, in interiori atrio

atrio qua itur ad triclinium quæ pluribus annis proflare voluit, vt in oculis ipsis perpetuo essent & non in cogitatione sola amplissimæ laudes tantæ tamque potentis Patronæ: Testis Sodalitas ab illo instituta & certis munica legibus, quò literarijs exercitationibus ac pietatis officijs mutuò respondentibus, ab eruditione ad pietatem gradus fieret, & partam pietas eruditionem illustraret. "Dispar enim est, inquit, Scopus horum Iuuenum qui in hac familia, & externorum qui alibi educantur: Illi siquidem dignitates tum Ecclesiasticas, tum ciuiles sæpenumero cogitant, vt illustribus parentum familijs splendorem addant, aut si obscuriores sunt, ad famam emergant: Hi verò adolefcentes quantumcumque illustribus parentibus oriundi Conuersionem Angliæ pro suo gradu potissimum spectant: Hoc enim sine huc eos destinant parentes & amici, primò vt vbi adeò ab hæreticis concuritur Catholica Religio & vitæ probitas, filij postliminio domum reuersi stent fortes in fide, & firmi in integritate vitæ: deinde vt inter tot falsa in Anglia dogmata, quæ eundem est & ipsi videant, & alijs viâ commonstrent, id est, pietatem & scientiam sibi proponant: Qui enim in Anglia inter hæreticos præsumeret sine insigni pietate viuere, periculosè omnino viueret, nec tamen sufficit nuda pietas, nisi pietatem comitentur & stent optimi mores; neque verò illa duo sufficiant, nisi vtrumque fulciat accuratissima cognitio doctrinæ Christianæ.) Hæc etiam moriens commendauit, dum conuocatos Adolefcentes alloquens, multa de suo erga Anglos & Angliam affectu, multa de diligenti regularum custodia prolocutus finem ferre dicendi, & viuendi fecit. Inter sacrosancta Mysteria, pronuntiatâ piensissimè communi formula Confessionis, voluit per interpretem qui deficientis verba ad omnium aures deferret, ab omnibus veniam petere, si quem verbo, opere, vel cõuersatione offendisset, quod, inquiebat, "malo animo factum non est, & Confessionem generalem quam potui exactissimam patri spirituali iam feci) tum ad Christi effigiem conuersus" Domine, inquiebat, non reculabam laborem, sed postquam diuinæ Majestati tuæ ita visum est, suscipe hunc inutilem, & indignissimum seruum tuum.) Paucis post horis expiato sacris ritibus animo, munitoque ad certamen extremum Sacramento vnctionis, ac repetitis magno cum pietatis sensu ex formula Religiosis votis, pie placideque clausit diem, postridie Sancti Chrylostomi cuius viuens aureum os habuerat in pretio. Vixerat annos vnum & sexaginta, in Societate quadraginta & vnum, in Coadiutoris formati gradu viginti quinque, cuius memoria in benedictione est, vt cui Anglia non illotum tantummodò quibus rexit annorum fructum debeat, sed etiam posteriorum, quibus ad ipsius præceptorum normam adolefcentes formati sunt, & etiam nunc formantur. Quorum Adolefcentum aliquos si hoc loco commemorauero gratum facturus videor tum *Schondonebo* in suis parentando, tum Collegij disciplinam exemplis potius quam verbis efferendo.

XXVII.

Iure merito Psaltes iubet *Deo laudem dari in Israël*

Hhh 2

quoniam,

In exerci-
tationibus
Sodalitatis